

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Rahn

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne I.U.D. &
Prof. Ad Exequias Quas Viro ... Henrico Heinio, Iuridicae Facultatis Secretario
Vidua moestissima paratas cupit Omnes omnium ordinum Cives Academicos
officiose & amice invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770974791>

Druck Freier  Zugang



Rahne, H.,

in H. Hein.

Rost. 1651.

21

PROGRAMMA

Quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HENRICVS RAHNE

J. U. D. & Prof.

Ad Exequias

Quas

VIRO INTEGERRIMO ET DO-

CTISSIMO

DN. HENRICO HEINIO,

Juridicæ Facultatis Secretario

Vidua mœstissima

paratas cupit


Omnes omnium ordinum Cives Academicos

officiosè & amicè invitas.



ROSTOCHII,

Type NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1651.



H à lege hoc carneo homines induimur
tegmine prodituri in lucem, ut conci-
dat illud tandem corruptum morbis,
aut alia quadam externâ destructum vi,
& illa C H R I S T I sanguine lota anima-
fideialis in cælum, unde origo ipsi est, avolet, recupe-
ratura tamen corpus suum, cum omnis corruptio,
omne tempus desit, & una atque communis æterni-
tas erit. Quæ lex ut omnes natos alligat, ita eidem &
satisfacere debuit vir spectatæ virtutis & doctrinæ
HENRICUS HEINIUS, Collegij Juridici, quod est
apud nos, Secretarius meritissimus. De cuius vita
quæ accepimus, paucis exponemus. Ita enim consue-
tudo obtinet; & eas laudes virtute suâ consecutus est
vivus, quæ nunc in mortuo dissimulari minimè
debeant. Natus ille est anno clo lcc VI. primâ Ad-
vent⁹, Dominicâ horâ sextâ vespertinâ. Pater ipsi fuit
vir Consultissimus, amplissimus atque excellentissi-
mus DN. **ALBERTUS HEINIUS**, J. U. D. & Decre-
talium, per ipsos XL. annos, in celeberrima hac Uni-
versitate, Professor, ac Illustriss. Principis Mecklenb.
Ducis **JOANNIS ALBERTI** gloriofissimæ memo-
riæ Consiliarius intimioris admissionis, longeq; me-
ritissimus. Matrem sortitus fuit **C A T H A R I N A M**
Horstmanns, singularis virtutis faminam, sororem ger-
manam

matram matronæ illius laudatissimæ, ANNÆ Horst-
mans/ quam vir incomparabilis Dn. D JACOBUS
BORDINGUS, Cancellarius quondam Mecklen-
burgensis, & Professor hujus Academiæ celeberrimus,
post Reipubl. Lubecensis Consul amplissimus in ma-
trimonio habuit. Avum paternum habuit Dn. FRI-
DERICUM HEINIUM, Professorem Decretalium,
& illustrissimi Principis Mecklenb. Ducis JOANNIS
ALBERTI Consiliarium, postmodum hujus civita-
tis Syndicum ac Consulem gravissimum; aviam pa-
ternam ANNAM Dobbins/ rarâ virtute fæminam.
Avum maternum laudavit DN. HENRICUM Horst-
man/ Civem Lubecensem primarium, virum egregi-
um; aviam maternam ANNAM von Hasseln/ incul-
pati nominis fæminam. Proavum paternum sortitus
fuit virum consultissimum prudentissimumq; DN.
JACOBUM HEIN Consulem apud Neobrandebur-
genses gravissimum; proaviam paternam, matronale
illud decus, ELISABETAM Barnefûrs. Proavus ma-
ternus ei fuit DN. ALBERTUS Dobbins Senator hu-
jus Reip. quondam spectatissimus; proavia materna
MARGARETA Wedigen/ ex celebri & perantiqua
WEDIGENORUM familiâ oriunda, fæmina, quæ
natales singulari virtute egregiè semper tuta est. Ho-
scœ igitur Majores optimos laudatosq; habuit, hisce
Parentibus natus est HEINIUS noster Rostochij in-
flore urbium, quibus Mecklenburgum censetur. Qui

A 2

cum

cum probè intellegent, multūm esse, ut ille ait, à teneris assuescere, nullumq; thesaurum pretiosiorem, nullum patrimonium stabilius liberis telenqui posse, quàm bonam educationem, summā curā eum educandum, præcipue verò pueritiam ejus pietatis ac literarum rudimentis instruendam recte existimarunt, præsertim cum docile ac sollers ingenium in eo deprehendissent. Præceptoribus mature traditus primis quidem annis Philologiam cum Philosophia summā diligentia coluit atq; conjunxit; utpote sine quarum adminiculo frustra quis ad solidam cognitionem severiorum disciplinarum pervenire postuleat. Cùm igitur domi iis artibus ac literis, quibus ad sapientiae studia præparantur animi, explevisset pectus, anno clo
loc X X V I, primūm Jenam ad capessendum uberiorēm ingenii cultum, à parentibus amandatus est. Ubi per aliquot annos ita se gessit, ut omnes boni civis numeros facile impleret. Neq; enim otio atq; inertia transegit tempus; sed Juris cognitionem ut sibi compararet egregiam, assidue sedulam ac diligentem operam navavit. Ita reputans, dedere se voluptatum studio, & animam insciā pati obsordescere, id vivi hominis sepulturam esse. Inde Lipsiam concessit, ubi per annum commoratus Jurisprudentiam, in qua vītā tabernaculum collocare, & in cuius quasi sinu conquiescere decreverat, ita percoluit, ut magnam de se spem concitaret iis, qui id temporis in Academia è supe-

superiore loco docebant. Heic ingenii sui dotes, quas
magnâ industriâ auxerat, disputando publicè priva-
timq; in lucem conspectumq; proferre paulatim cæ-
pit. Ac biennium quidem cùm exegisset ibi, de Paren-
tis optimi consilio in Hollandiam se contulit, & post-
quam Leidæ per annum non solum eas literas, quas
Rostochii colere cæperat, quæque ibi tū maximè flo-
rebant, sed & Juris studium diligenter excoluisset, in-
Angliam transfretavit. Inde in Gallias trajecit, ubi
cùm aliquot annos in florentissimis quidem
Academiis substitisset, Argentoratum postea adiit,
celeberrimam clarissimamq; urbem, in qua bienni-
um cum laude & feliciter fecit, relamq; studiorum
suorum præclarè pertexuit. Tandem cum plerasque
Superioris Germaniæ civitates lustrasset obiter, ac vi-
ros quoque clarissimos, qui ibi degebant, salutasset,
anno clo clo XXXIII. domum ad optimum suum
Parentem rediit, quem in viduitate & senecta infir-
mitate constitutum offendit. Matrimonium, consen-
su Parentis & agnatorum, iniit anno clo Ioc XXXIV,
nec infeliciter certè: quippe qui toto isto tempore
cum conjugè sua tantâ animorum conjunctione vi-
xerit, quanta unquam in amantissimos conjuges ca-
dere potest. Elegerat sibi è choro virginum Rosto-
chienium D N. GEORGII HAGEMEISTERI Se-
natorii ordinis filiam, quam bene pudiceq; ad rem-
familiarem à teneris educatam die XIX Augusti, an-

ni prædicti domum duxit. Ex hac uxore singularis exempli;
etiamsi olim fuisset, suscepit liberos quinq; videlicet II ma-
sculos, ALBERTUM & GEORGIUM, & III de sequo-
re sexu, CATHARINAM, MARGARETAM,
ANNAM-ELISABETAM & REGINAM-SO-
PHIAM. De quibus quatuor, nimirum unus filius GEOR-
GIUS, & filia tres superstites sunt. ALBERTUS
in tenerâ adhuc ætate Patrem præcessit. Anno cl^o loc^o XL^o
amplissimum Jurisconsultorum collegium HEINIUM no-
strum à secretis suis esse jussit, postquam fidem ejus & indu-
striam jamante diligenter explorasset. Non longè pòst Colle-
gium Professorum Ducalium Oeconomi munus ipsi deman-
davit. Utrobiq; cum se gessit, quem esse oportet, qui cum lau-
de velit partes sibi demandatas tueri. Ad laudem ejus & hoc
accedit, quod non solum ab amplissimo Jurisconsultorum
Collegio in hac Universitate, operâ quidem eximii illius inge-
niorum censoris & tûm temporis Decani ac Comitis Palatini
DN. HENRICI SCHUCKMANNI, J. U. D. & Prof.
sed & in judicio Mecklenburgensium Provinciali, ut & Spiræ
Nemetum, in judicio Imperialis Cameræ, quam vocant, in am-
plissimo illo Amphictyonum & Areopagitarum Germanico-
rum consensu Notarii Publici dignitatem ac privilegia sum-
mâ cum approbatione consecutus fuit. Quo munere ita de-
functus hactenus est, ut magnam fidei, magnam diligentie atq;
industriæ laudem facile auferret. Præterita die III Jul. cùm
à laboribus vocationis suæ circa horam undecimam domum
rediisset, & valetudinem suam majorem in modum attritam ac
debilitatam sentiret, lecto se dedit, & res suas ita ordinavit,
ac si statim sibi de vitæ hujus statione decessendum esset. Si
enim myrmilloni aut retiario curæ erat, ut honestè occumbe-
rent, multò magis homini Christiano dandam esse operam
censebat, ne vitam quasi fabulam, quæ cæteras partes omnes

præ-

præstantes habuerit, postremus actus deturparet. Quamvis au-
tem adhibita Medicorum auxilia fuerint, frustra tamen omnis
ea cura fuit. Confugiebat itaq; ad preces, & cùm in humanis
vix quicquam superesset spei, in Deo solo nitendum sibi exi-
stimabat. Quem sibi propitium, quem benevolum reddere,
ut semper ante, ita tunc maximè modis omnibus contendebat.
Ad istum modum cùm comparasset animum, totum se vo-
luntati divinæ permisit. Nec vivere detrectans, si ita vide-
retur vitæ arbitro, nec mori metuens. Certus, mortem in ve-
ram vitam aditum aperire Christianis, nec metuendam, nisi
quatenus peccati pretium esset, à quo nemo purus & liber. In-
ter has cogitationes, eo ipso quo decubuerat, die circa septi-
mam vespertinam, animam Deo reddidit, & rebus humanis ex-
cessit, quibus annos XLV interfuerat. Nunc sempiterno ævo
fruitur, securus laborum, quibus in hac vita ad satietatem usq;
fuit defatigatus. Quare satius est, ut illius immortali bono læ-
temur, quam rebus humanis exemptum non profuturis lacry-
mis lugeamus. Vitam publicè & privatim ita instituit, ut qua-
libet horâ dictorum factorumq; suorum rationem posset red-
dere supremo illi rerum humanarum arbitro, qui non solum
quæ nos gerimus audit videtq;, sed & intima mentis nostræ
consilia & cogitationes exploratas habet, vindex scelerum, mu-
nerator benefactorum. Qui pietatem vultu tantum & verbis
præ se ferunt, animum verò habent vitiis mancipatum, ii tan-
tum abest, ut in piorum lustro censendi sint, ut etiam ubi con-
scientiam suam interrogare cæperint, à doméstico carnifice
vehementius torqueantur, quam si in equuleo jaceant brachiis
post terga retortis. HEINIUS noster, quod omnibus affir-
mare habemus, non ad yanam gloriam, aut opinionem aliorū
respexit unquam, sed id egit sedulò, ut poti⁹ esset quam vide-
retur pius. Nullū sane diē à sacris meditationibus relinquebat
vacuum, ceremoniis & precibus publicis lubens intererat, atq;
attente,

attentē, qui populum erudirent, audiebat. Cūm verò nemo sit mortalium, in cuius pectore non hæreat aliquid labis, vel nativæ vel contractæ per consuetudinem, nihil ipsi erat antiquius, quām ut frequenter, quicquid sordium concepisset, pià confessione elueret, & animo adhunc modum depurato, more apud Christianos recepro, particeps fieret mysteriorū, quibus nobis verum corpus & sanguis Conservatoris nostri exhibetur. Id quod ante has quatuor hebdomadas demum fecit, cūm iridem male haberet. Improbatis ac levitatis hostis acerimus fuit, adulandi & blanditiarum expers fidei ac veritatis studium sedulò amplectebatur. Gravis molestusq; nemini, ac ne inimicis quoq;, si quos, ut fieri solet, aliquando nactus esset. Fastum & superbiam fuit exosus: ab avaritia, à sordibus, ab ambitione emancipatam mentem gessit: pauperes quā ratione potuit, juvit benignus; easq; ob causas vivo ac videnti omnies boni meritò favebant;


Nostrum est, CIVES Academici, ut hunc præstantissimum virum, quandoquidem aliis officiis colere amplius non possumus, supremo honore cumulate atq; prolixè afficiamus. Quapropter agite, convenite frequenter prosecuturi funus ac deducturi in sepulturæ destinatum locum, ubi deponetur ejus corpus, in quo habitavit egregia anima, quæ cūm adhuc teneatur corporeis vinculis cum cælo atq; sideribus conversata assidue est, commerciumq; exercuit quoddam. Id familie nobilissimæ debetis, & nobis quoq;, qui jubemus. P. P. Rostock I d. VIII Julij, anno recuperatæ gratiæ

clo I^o c LI.


*Conventus fiet in templo Jacobo
ad horam primam.*

• 6(0) 6 •





præstantes habuerit, postremus actus deturpare
tem adhibita Medicorum auxilia fuerint, frustra
ea cura fuit. Confugiebat itaq; ad precies, & cù
vix quicquam superasset spei, in Deo solo niten
stimabat. Quem sibi propitium, quem benevo
ut semper ante, ita tunc maximè modis omnib
bat. Ad istum modum cùm comparasset animum
luntati divinæ permisit. Nec vivere detrectan
retur vitæ arbitro, nec mori metuens. Certus, m
rām vitam aditum aperire Christianis, nec met
quatenus peccati pretium esset, à quo nemo puru
ter has cogitationes, eo ipso quo decubuerat, di
mam vespertinam, animam Deo reddidit, & rebus
cessit, quibus annos XLV interfuerat. Nunc sem
fruitur, securus laborum, quibus in hac vita ad sa
fuit defatigatus. Quare satius est, ut illius immor
temur, quam rebus humanis exemptum non prof
mis lugeamus. Vitam publicè & privatim ita insti
libet horâ dictorum factorumq; suorum ratione
dere supremo illi rerum humanarum arbitro, qui
quæ nos gerimus audit videtq; sed & intima m
consilia & cogitationes exploratas habet, vindex si
nerator benefactorum. Qui pietatem vultu tan
præ se ferunt, animum verò habent vitiis mancip
sum abest, ut in piorum lustro censendi sint, ut et
scientiam suam interrogare cæperint, à domesti
vehementius torqueantur, quam si in equuleo jac
post terga retortis. HEINIUS noster, quod on
mare habemus, non ad yanam gloriam, aut opini
respxit unquam, sed id egit sedulò, ut poti⁹ effet
retur pius. Nullū sane diē à sacris meditationibus
vacuum, ceremoniis & precibus publicis lubens.



the scale towards document

Scan Reference Chart LT263 Serial No. 0911
Image Engineering